

& electos ad bellum. Tantusq; metus prouentus illis incubuit. ut uniuersarum urbium habitatores principes & honorati. simul cum populis exirent in obuiam ueniendi. excipientes eum cum coronis & lampadibus. ducentes choros in tybiss & tympanis. Nec ista tamen facientes. ferocitatem eius peccatoris mitigare potuerunt. Nam & ciuitates eorum destruxit. & lucos eorum excidit. Preceperat enim illi habugodonosor rex. ut omnes deos terre exterminare. uidelicet ut ipse solus diceretur deus ab his nationibus. que potuissent olofernis potentia subjugari.

Pertransiens autem syriam sobal. & omnem apamiam. omnemq; mesopotamiam uenit ad idumeos in terra gaba. Acepitq; ciuitates eorum. & sedit ibi per triginta dies. in quibus diebus aduerti precepit uniuersum exercitum uirtutis sue.

VIII

Tunc audientes hec filii israel qui habitabant in terra iuda. timuerunt ualde a facie eius. Tremor etiam & horrore inuastit sensus eorum. ne hoc faceret hierusalem & templo domini. quod fecerat ceteris ciuitatibus & templis earum.

Et miserunt in omnem samariam per circuitum usque hiericho. & preoccupauerunt omnes uertices montium. & muris circumdederunt uitos suos. Et congregauerunt frumenta. in preparatione pugne. Sacerdos etiam heliachim scripsit ad uniuersos qui erant contra

hesdrelon. que est contra faciem campi magni iuxta dothum. & uniuersis per quos transitus esse poterat. ut optinerent ascensus montium per quos uia esse poterat ad hierusalem. ut illic custodirent ubi angustum iter esse poterat inter montes. Et fecerunt filii israel. secundum quod constituerat eis sacerdos domini heliachim. Et clamauit omnis populus ad dominum instantia magna. & humiliauerunt animas suas in ieiuniis. ipsi & mulieres eorum. Et induerunt se sacerdotes cilicis. & infantes prostrauerunt se contra faciem templi domini. & altare domini operuerunt cilicio. Et clamauerunt ad dominum israel unanimitate. ne darentur in preclam infantes eorum. & uxores eorum in diuisionem. & ciuitates eorum in extirpationem. & sancta eorum in pollutionem. & fierent in opprobrium gentibus.

Omnibus mensis octobris. l. 1.

Alexander philippi coacedo qui prius regnauit in grecia. egressus de terra cethim. percussit Darium regem persarum & medorum. constituit filia multa. & omnium optinuit munitiones. & interfecit reges terre. Et pertransiit usque ad fines terre. & accepit spolia multitudinis gentium. & sicut terra in conspectu eius. Et congregauit iracundiam exercitum fortis nimis. & exaltatum est & eleuatum cor eius.

